

Duplicate

on computer

288

catalogued

RHYNCHOTA ÆTHIOPICA

descripsit E. Bergroth.

III (1)

Fam. PENTATOMIDÆ.

types see.

1. *Garsauria Haglundi* n. sp.

Ovalis, glabra, nitida, nigra, pronoto basi picescente, pedibus ferrugineo-testaceis, geniculis fuscis. Caput cum oculis fere æque latum ac longum, sine oculis latitudine saltem duplo longius, crebre fortiter punctatum, oculis magnis, transversis, ocellis mox pone lineam inter angulos basales oculorum fictam sitis, ad oculos valde approximatis, articulis duobus primis antennarum testaceis, primo apicem capituli haud attingente, secundo brevissimo, tertio piceo, duobus basalibus unitis sat multo longiore, e basi apicem versus sensim incrassato (art. duo ultimi desunt), rostro subrecto, crassiusculo, coxas medias paullum superante, ferrugineo-testaceo, articulo apicali piceo, articulo primo brevissimo, tubercula antennifera attingente, secundo medium prosterni attingente, tertio secundo tertia parte longiore, quarto primo nonnihil longiore. Pronotum e basi antrorsum fortiter angustatum, apice profunde sinuatum, longitudine media plus quam duplo latius, basi quam apice fere triplo latius, lateribus subrectis, vix sinuatis sed apicem versus leviter rotundatis, angulis apicalibus marginem postero-exteriorem oculorum tangentibus, obtusiusculis at non rotundatis, disco sat dense in parte basali subtiliter apicem versus fortius punctato, medio transversim impresso, impressione latera non attingente, sed callo obliquo nonnihil intra latera et iis parallelo currente e basi paullo ultra medium extenso abrupta. Scutellum abdomine saltem triplo brevius, longitudine media multo latius, sat dense punctatum, prope angulos basales area parva ovali impunctata præditum, apicem versus haud carinatum sed apice depressum, lateribus levissime sinuatis, paullo ante apicem obtuse angulatis, angulo apicali obtusiusculo sed non rotundato. Hemelytra abdomine paullo breviora, corio scutello fere duplo longiore, basin segmenti antepenultimi connexivi longius superante, fortiter sat dense seriatim punctato, vena subcostali parum curvata paullo ante apicem cum vena costali conjuncta, margine apicali parum sinuato, dimidio hujus externo paullo elevato, angulo apicali

(1) Voy. Ann. Soc. Ent. Belg., XXXVIII (1894), p. 535.

289

anguste rotundato, membrana leviter basin versus fortius fusco-umbrata. Mesosternum per totam longitudinem carinatum; metasternum etiam carinatum, carina hujus altiore, laminata, sulco orificiali longo, apice paullo curvato, area evaporativa mediocri, ovali, opaca. Abdomen subtus dense punctatum, medio per spatium angustum læve. Femora omnia æque crassa; tibiæ anticæ apicem versus incrassatæ, subtus fossa spongiosa trientem apicalem harum occupante instructæ; tibiæ posteriores extus spinulis paucis munitæ; articulus ultimus tarsorum articulis duobus basalibus brevibus unitis sat multo longior. — Long. ♀ 7 mill.

Gabon. — Coll. mea.

Multo minor quam *G. Sjöstedi* Hagl. et situ ocellorum ceterisque notis ab illa distinctissima. Et a specie Haglundiana et a *G. aradoide* Walk. differt nostra species rostro multo longiore, sed certe congenerica est, nam longitudo mutua articulorum ejus fere eadem est. — Non dubito, ut jam suspicatus est cl. Haglund, quin descriptio et figura Signoreti hujus generis (= *Microrrhynchi* Sign.), quod ad caput attinet (« tête avec les lobes égaux »), pravæ sint.

2. *Afrius rubromarginatus* n. sp.

Obscure castaneus, capite superne (vitta media excepta) et pronoto antice lateribusque nigro-tinctis, callis tribus parvis basalibus scutelli, una media una utrinque subangulari, rufescentibus, apice scutelli pallide flavido, marginibus lateralibus pronoti et partis basalis corii cum epipleuris rubris, capite subtus cum antennis, pectore, abdomine toto pedibusque nigris, articulo ultimo antennarum basi obscure rufescente, annulo medio tibiæ posteriorum sanguineo, rostro et membrana fuscis. Caput, pronotum, scutellum pectusque fortiter sat dense punctata. Corium æque dense sed multo subtilius punctatum, exocorio tamen fortius punctato. Abdomen subtus lateribus dense fortiter punctatum, punctis medium sublæve versus oblique impressis et sensim minus densis, superficie inter puncta aciculata. Pronotum ante medium disci callis duobus parvis sed distinctis pallidioribus præditum, lateribus fere in medio distincte sinuatis. Hemelytra apicem abdominis nonnihil superantia. — Long. ♀ 11,5 mill.

Africa orientalis. — Coll. mea.

Species punctura et colore facile distinguenda.

3. *Nezara Horvathi* n. sp.

Obovata, supra saturate viridis, concoloriter punctata, scutello et corio callis parvis irregularibus virescenti-flavidis conspersis,

subtus cum pedibus viridis, connexivo et limbo laterali ventris rufis, margine laterali capitis, thoracis partisque basalis corii usque ad apicem epipleurarum (subtus quam supra latius), vitta brevi inferiore capitis ante oculos, angulis apicalibus segmentorum abdominalium maculaque obsoleta media segmentorum connexivi nigris, geniculis et apice tarsorum rubiginosis, spiraculis rufescentibus. Caput superne dense ruguloso-punctatum, parte antero-oculari longitudine sua latiore, marginibus lateralibus ante oculos levissime sinuatis, antennis obscure viridibus, apice articuli secundi, triente apicali articuli tertii, articulo quarto annulo lato basali excepto parteque minus quam dimidia apicali articuli quinti nigris, parte basali articuli quinti pallide virescenti, articulis tribus mediis gradatim longioribus, quinto quarto distincte brevior. Pronotum dense ruguloso-punctatum, angulis lateralibus nonnihil prominulis, obtusiusculis, marginibus lateralibus anticis distincte reflexis, subrectis, posticis ad marginem lateralem corii obtuse angulatis, inter hunc angulum et angulum basalem late sinuatis. Scutellum dense ruguloso-punctatum. Hemelytra apicem abdominis attingentia, corio dense punctato, angulo apicali late rotundato, membrana viridi. Pectus minus dense punctulatum, orificiis in carinam longam tenuem continuatis. Connexivum dense concoloriter punctatum. Abdomen subtus remote subtiliter punctatum, carina media lata obtusa lævi, spina basali coxas medias attingente, segmento genitali maris ab infero viso margine apicali subrecto, medio leviter obtusissime sinuato. — Long. ♂ 16,5 mill.

Var. : Supra rufa, subtus cum antennis et pedibus pallide flavescens, partibus nigris corporis et antennarum, limbo ventrali, geniculis, apice tarsorum spiraculisque ut in typo (1).

Gabon. — Coll. mea.

Species pulchra et eximia, cum nulla alia confundenda.

Fam. PYRRHOCORIDÆ.

4. *Odontopus Schoutedeni* n. sp.

Oblongo-ovatus, luride testaceus, vitta media postice dilatata capitis, linea impressa aream elevatam pronoti antice et postice terminante, scutello (excepta macula magna triangulari apicem attingente), macula parva transversa corii ab angulo apicali nonnihil remota, macula oblonga subpercurrente retrorsum angustata segmentorum connexivi, pectore (exceptis limbo antico, laterali ac basali prosterni, limbo basali meso- et metapleurarum acetabu-

(1) Varietatem analogam habent *N. Heegeri* Fieb. (var. *rubescens* Noualh.) et *N. Millierei* M. R. (var. *rosea* Noualh.).

lisque) fasciaque basali lateribus in maculam magnam triangularem marginem apicalem attingentem dilatata segmentorum ventralium nigris, antennis fusco-nigris, rostro et pedibus fuscis. Articulus primus antennarum capiti subæquilongus, secundus primo æque longus, tertius secundo evidenter brevior, quartus secundo parum brevior. Pronotum lateribus parum rotundatum, anguste et acute reflexum, disco subtilissime concoloriter punctulato, area elevata a margine apicali sat remota, medio parte collari parum longiore. Hemelytra apicem abdominis attingentia, corio basin segmenti quinti connexivi attingente, cum clavo dense subtiliter concoloriter punctulato, margine apicali angulum apicalem versus late levissime rotundato, angulo apicali anguste rotundato. Pectus partibus pallidis subtilissime punctulatum, sulco odorifero indistincto. Venter lævis. Femora antica subtus in dimidio apicali spinulis nonnullis armata. — Long. 16 mill.

Africa orientalis (Ikuta). — Coll. Schouteden.

O. notabili Dist., quem e Congo (Boma Sundi) vidi, proximus, sed minor, aliter coloratus, antennis aliter constructis, lateribus pronoti angustius et acutius reflexis, hemelytris et corio longioribus, margine apicali hujus extrorsum multo minus rotundato, sulco odorifero multo minus conspicuo.

5. *Odontopus modestus* Dist.

Variat maculis corii deficientibus.

Africa orientalis (Ikuta).

Fam. LYGÆIDÆ.

Dromocoris nov. gen.

Caput apice pronoti nonnihil latius, fere usque ad oculos rotundatos immersum, angulo apicali acuto, tylo nonnihil elevato, ocellis ad oculos approximatis, articulo primo antennarum fere dimidio suo apicem capitis superante (ceteri articuli desunt), rostro coxas anticas parum superante, articulis subæquilongis, primo marginem anticum oculorum vix attingente. Pronotum latitudine paulo longius, apice collari distincto destitutum, pone medium fortiter constrictum, lobo antico convexo, capite latiore, basi quam apice distincte latiore, lateribus subæqualiter rotundatis, anguste carinatis, lobo postico antico latiore, margine basali subrecto. Scutellum latitudine basali parum et commissura clavi duplo et dimidio longius. Anguli postici metasterni acuti. Hemelytra basi pronoto paulo latiora, lateribus per trientem basalem corii parallela, deinde late levissime rotundata, margine apicali corii sutura clavi multo

Genus Reduviinarum in tota subfamilia notis omnibus certis maxime insigne, forte optime prope *Opinum* Lap., Stål collocandum (1); habitu generi americano anomalo et ambiguo mihi ignoto *Elasmodema* Stål verisimiliter sat simile.

13. *Platymicrus albiventris* n. sp.

Hemelytris opacis exceptis nitidus, lævis, glaber, niger, clavo basi membranæ intus dilatata, margine externo venæ cellulam mediam membranæ extus terminantis atque abdomine, limbo excepto albis. Articulus secundus antennarum primo triplo longior, tertius secundo brevior. Limbus lateralis ventris subtiliter rugulosus et imprimis ad margines apicales segmentorum tuberculis minutis asper. — Long. ♀ 4,3-4,5 mill.

Africa occidentalis: Assini in Ora eburnea (coll. Alluaud), Cameroon (coll. Breddin).

Inter Reduvidas minimos adhuc cognitos.

14. *Sphedanocoris camerunensis* Bredd. (2).

Fusco-niger, angulis lateralibus pronoti, clavo et corio (macula magna media hujus excepta), connexivo (fascia basali segmentorum excepta) supra et sublus, disco ventris medio, apice femorum tarsisque luride testaceis. Caput, pronotum scutellumque dense granulata, areolis aliquot lobi antici pronoti lævibus, articulo secundo antennarum primo circiter triplo longiore, apicem versus incrassato, articulis duobus ultimis gracillimis, tertio dimidio secundi longiore et quarto multo brevior, scutello apice horizontaliter producto. Segmentum ultimum ventrale feminae medio segmentis duobus præcedentibus unitis distinctissime longius. — Long. ♂ ♀ 7,6-8,6 mill.

Var. : fere totus niger, solum angulo apicali corii, apice segmentorum connexivi tarsisque testaceis.

Africa occidentalis (Assini in Ora eburnea, Gabon). Haud rarus videtur, etsi adhuc prætervisus. — Coll. Alluaud et mea.

15. *Sphedanocoris sacalava* n. sp.

Niger vel fusco-niger, sæpe sublus cum pedibus testaceus vel saltem disco ventris medio flavido. Præcedenti affinis et ejus varietati similis, sed connexivo concolore, pronoto parum granulato ac

(1) Generi *Heteropinus* Bredd. nuperrime descripto magis affine est.

(2) Hæc species, in manuscripto meo sub alio nomine descripta, a cl. Breddin nuperrime descripta est.

segmento ultimo ventrali feminae medio segmentis duobus præcedentibus unitis parum longiore distinguendus. — Long. ♂ 7 mill.; ♀ 9 mill.

Madagascar (Nossibé). — Coll. Brancsik.

Obs. Genus *Sphedanocoris* Stål adhuc solum ex Australia cognitum fuit. Etiam e genere Berytidarum africano *Capys* Stål speciem australicam indescriptam cognovi.

NOTES SYNONYMIQUES, ETC.

Fam. PENTATOMIDÆ. *Aspongopus monticola* Karsch est identique à *A. Reuteri* Hagl. La description de Haglund est publiée un peu avant celle de Karsch.

Fam. COREIDÆ. *Petillia? Distanti* Hagl. est, selon Haglund (in litt.), identique avec *Zenkeria membranipicta* Karsch, qui a la priorité.

Clavigralla annulipes Sign. appartient au genre *Acanthomia* Stål et est voisine d'*A. tomenticollis* Stål. Le premier article des antennes est entièrement brun, les tibias postérieurs beaucoup plus courts que les cuisses. J'ai vu le type de Signoret, gracieusement communiqué par M. le professeur Monticelli, de l'ancienne collection Guérin-Méneville, actuellement faisant partie du Musée de Naples.

Fam. TINGIDÆ. *Phatnoma æthiops* Dist., *testaceum* Dist. et *obesum* Dist. appartiennent au genre *Gonycentrum* Bergr. (*Teleia* Fieb.), mais *Ph. humerale* Dist. est un vrai *Phatnoma*. La structure du pronotum est la seule différence valable entre ces deux genres; les autres caractères génériques sont vagues ou insoutenables après la découverte des espèces inconnues de Fieber.

Fam. REDUVIIDÆ. *Reduvius (Sphedanolestes) horridus* Carl. et *R. (Sph.) zonogaster* Carl., dont j'ai vu les types, ne sont pas des *Sphedanolestes*, mais appartiennent tous les deux au genre *Rhinocoris* Hahn (*Harpactor* Spin., Reut. nec Lap.), le premier au sous-genre *Chirillus*, le deuxième au sous-genre *Harpiscus*.

Sphedanolestes singularis Dist. (1903) n'est point un *Sphedanolestes*, mais identique au *Velinus rotifer* Bergr. (1895).

Ayant comparé *Caridomma circumspectans* m. de Gabon avec une espèce du genre américain *Macrophthalmus* Lap., je trouve — ce que j'ai déjà soupçonné auparavant (Ann. Soc. Ent. Belg., 1894, p. 546) — qu'il s'agit du même genre, dont voici la synonymie :

Caridomma Bergr. 1894.

Macrophthalmus Lap. 1832 (nom. præocc.).

Macrops Burm. 1835 (nom. præocc.)

Sorglana Kirk. 1900.